

Ecclesiæ suæ nomine, ac successorum de ipsis investimus, & auctoritate Romana Imperiali ex certa scientia, & magna nostræ plenitudine potestatis præsentibus investimus, ac ipsum, & Ecclesiam suam Aquensem ad uberius gratiæ incrementum cum prædictis, & aliis universis, & singulis eorundem Episcopi, & Ecclesiæ civitatibus, castris, burgis, villis, fortalitiis, munitionibus, terris, regalibus, juribus, jurisdictionibus, plebibus, locis, possessionibus, & bonis mobilibus, & immobilibus, quibuscumque censeantur nominibus, & in quibuscumque juribus, & rebus consistant Episcopo, & Ecclesiæ prædictis tam per dictos Imperatores, & Reges Romanorum prædecessores nostros suprascriptos, vel alias juste, & provide collata, vel confirmata, seu per quoslibet nobiles, ignobiles, vel alias concessa, & donata sub nostra, & Sacri Romani Imperii protectione speciali recipimus, & tutela, omnia hujusmodi, & singula, ut præmittitur præfato Episcopo, & Aquensi Ecclesiæ de immensæ nostræ plenitudine potestatis ex certa scientia, & speciali gratia confirmantes, & de novo etiam concedentes, non obstante si præmissa, vel eorum aliqua, seu aliquid quocumque tempore occupata sunt, vel fuerint, seu invasa per quemcumque alienata, infeudata, rapta per vim, aut quolibet ausu, vel potentia, dolo, vel fraude, minus juste distracta, vel qualitercumque rapta, sublata, & extra prædictorum Episcopi, & Ecclesiæ quocumque titulo posita potestatem. Nos enim tales, & quascumque alias violentias, occupationes, invasiones, alienationes, & etiam infeudationes, rapinas, & distractiones, donationes, concessiones, instrumenta, sententias, arbitrationes ordinarias, delegatas, & omnia alia, ac scripturas, & inde secutas, & secuta, vel aliter qualicumque modo pronunciata, scripta, vel facta, & detentationes cassas, & irritas judicamus penitus, & inanes, dictumque Episcopum, & Ecclesiam ejus prædictam, & successores adversus eas, & earum quamlibet ex certa scientia in integrum restituentes, & pro restitutis haberi jubentes, mandantes, volentes, & statuentes de nostræ Romanæ Imperatoris plenitudine potestatis nulla temporis præscriptione, invasione, occupatione, alienatione, donatione, concessione, infeudatione, sententia arbitrari, vel ordinaria, videlicet qualecumque instrumentum, privilegium, seu privilegia, vel scripturas in perpetuum, se jura aliqua contra præsentem nostram dispositionem, constitutionem, pragmaticam, confirmationem, donationem, & ordinationem in vasoribus, occupatoribus, detentoribus, alienatoribus, infeudatoribus, promulgatoribus, sententiatoribus, donatoribus, vel scriptoribus, seu distractoribus hujusmodi quomodolibet in præjudicium Ecclesiæ Aquensis, & sui Episcopi, & successorum profutura. Ceterum quum sæpeditus Ven. Guido Aquensis Episcopus, & Princeps noster dilectus per quasdam litteras bonæ memoriæ quondam D. Innocentii Papæ tertii nobis monstraverit Aquensem, & Alexandrinam Ecclesias per eundem D. Innocentium, sive per prædecessorem suum Alexandrum Papam olim unitas fuisse, prout usque hodie unus dignoscitur esse Pontifex utriusque, quumque eidem Episcopo

spiritualium omnium prædictæ Alexandrinæ Ecclesiæ sollicitudo, & cura incumbat, & res cum onere suo transire debeat, sitque indignum, si is, qui ad onus eligitur, exclusus maneat a mercede, decernimus, statuimus, volumus, & jubemus de prædicta nostra magna plenitudine potestatis, ut universalia temporalia, puta castra, terræ, villæ, loca, jura, & jurisdictiones, territoria, regalia, dominia, & alia universa, & singula dictæ Alexandrinæ Ecclesiæ in potestate, & manu dicti Aquensis Episcopi, suorumque successorum perpetuo consistant, quæ sibi, suisque successoribus, & Ecclesiæ suæ prædictæ concedimus, conferimus, & ex certa scientia, & magna Romanæ nostræ plenitudine potestatis etiam confirmamus, & de novo concedimus, & donamus, ut sicut eidem Ecclesiæ, & ejus plebi feminat spiritualia, ita etiam metere temporalia gratuletur. Insuper ut in omnibus, & singulis præfatis civitatibus, partibus, castris, villis, burgis, terris, locis, poderiis, & districtibus eorundem, & per tria milliaria circumcirca, & in omnibus, & singulis hominibus, & vassallis, & utriusque sexus, familiis, & mancipiis in dictis civitatibus, castris, terris, villis, burgis, partibus, poderiis, & districtibus stantibus, & habitantibus, vel qui videlicet tempore venturo stabunt, vel habitabunt, & in plebibus, vicis, & territoriis, ac ubique inter Tanagrum, & Burmidam dicto Guidoni Episcopo Principi nostro charissimo, & Aquensi Ecclesiæ, suisque successoribus, & officialibus nihil desit potestatis, & domini prædicta omnia supra expressa de novo etiam, & ex certa scientia, & gratia speciali, & de immensæ nostræ Romanæ Imperatoris plenitudine potestatis prædicto Guidoni Episcopo Principi nostro charissimo, & per eum dictæ Ecclesiæ Aquensi, & Episcopali mensæ, & suis successoribus confirmamus, largimur, tradimus, & donamus, funditus omnia, & singula supradicta in ipsum Guidonem Aquensem Episcopum, & Episcopalem mensam ipsius, & in Aquensem Ecclesiam, & successores dicti Episcopi penitus transferentes cum omni mero, & mixto imperio, dominio, & signoria alta, & bassa, concitu, districtibus, juribus, & honoribus, omnimodaque alia jurisdictione hominibus etiam, & vassallis, ipsorumque fidelitatibus, servitutibus, & homagiis, ac utriusque sexus familiis, & mancipiis, & successoribus, & præsertim in his, & ab eis, & ex his, qui, vel quæ in omnibus, & singulis prædictis civitatibus, castris, terris, locis, burgis, villis, partibus, poderiis, & districtibus, plebibus, contratis, & vicis decedent in futurum, vel decederint absque filiis legitimis ex se natis, & cum omnibus aconzamentis, & cum omnibus bannis, fodris, & etiam cum omnibus angariis, & perangariis, & bandimentis victualium omnium, & aliarum rerum, & honorum in quibuscumque partibus consistant, vel quocumque nomine censeantur, jurisdictionibus omnibus, & duellis, ac regalibus universis, & cum factionibus, reparationibus, & clausuris murorum, spaldorum, fossatorum omnium prædictorum, & prædictarum civitatum, & castrorum, villarum, terrarum, burgorum, necnon cum montibus, vallibus, planiciebus, sylvis, pascuis,